C stus lib. vi. de hist. plant. cap. ij. ijs uerbis: ἴδιον δὲ ὁ καρπὸς τοῦ μανδραγόρου τῷ μέλανι καὶ γάνος καὶ οἰνῶδες ἐν τῷ χυμῷ. hoc est, fructus Mandragoræ peculiaris, quia niger, acinosus & uinosus suo sapore sentitur. Hæ enim omnes notæ in fructu huius frutícis reperiuntur. Sed plura ea de re in capite de Mandragora diximus.

DE SYMPHYTO MAGNO. CAP. CCLXV.

NOMINA.

Symphytum cur dictum.

SYMPHYTON, ἢ συμφύτον μέγα Græcis, Symphytũ & Solidago Latinis officinis & herbarijs Consolida maior, Germanis Walwurtz/Schwartzwurtz/Schmerwurtz/grosse beinwell. Nomen illi apud Græcos Latinosq; egregia constringendi & conglutinandi uis fecit.

FORMA.

Caulem emittit binûm cubitorum, aut maiorem, leuem, crassum, angulosum, Sonchi modo inanem, circa quem folia sunt non magnis interuallis distantia, hirsuta, angusta, oblonga, ad Bugloßi foliorum figuram accedentia. Habet caulis secundum angulos eminentias quasdam productas. Folium tenue ex singulis alis prodit. Flores lutei, & semen Verbasci. Totus uerò caulis & folia quandam lanuginẽ modicè asperam, tactu pruritum mouentem, habent. Radices in superficie extráue nigræ, intus candidæ & glutinosæ, quarum est usus. Hæc siquidem deliniatio adamussim huic herbæ quæ uulgò Consolida maior appellatur, competere uidetur, quod nulla prorsus sit nota quę illi non quadret. Sed obtrudet quispiam, florum colorem non respondere, quem Dioscorides luteum esse dicit, quum in nostra Consolida alius sit. Cui ita respondeo. Coloris ista in floribus diuersitas non tanti momenti est, ut aliud à Consolida maiori Symphyton esse, conuincere possit: neque enim ubique terrarum, etiam earundem herbarum, flores similes sunt. Exemplo est Bugloßum, quod Boraginem hodie officinæ uocant: hoc enim interdũ albos, quos nos Norimbergæ & Culmachij sæpe uidimus: magna autẽ ex parte purpureos producit flores. Sic quoque Symphytum frequenter flore subrubro, uel leniter purpurascente, ut Onoltzbachij, rarius candido conspicitur. Tubingę tamen omnia flore albo uisuntur. Luteis floribus nullum in Germania uidisse me memini. Quod autem alios quàm luteos nonnunquam proferat flores Symphytum, satis docet Apuleius in cõmentariolo illo quem de herbis conscripsit, qui illius flores nigros esse tradit, subrubros aut subpurpureos hauddubiè innuens. Nos una pictura utroscq; flores exhibemus. Germani candidis floribus Symphytum fœminã, subrubris uerò marem appellant. Cæterum non est quod in Symphyti descriptione te perturbet aut remoretur, quod idem caulis simul leuis & angulosus dicitur: id enim sic intelligendum uenit, quod caulis nõ perpetuò leuis aut angulosus sit, sed modo hunc, modo illum producat pro soli diuersitate.

Consolida maior
Obiectio diluitur

D

LOCVS.

Locis aquosis, palustribusq; abundè prouenit.

TEMPVS.

Per integram æstatem floret. Radix tamen in autumno carpenda uenit.

TEMPERAMENTVM.

Modicè, ordine scilicet secundo, calefacit, exiccat & contrahit.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radices tritæ & potæ cruenta expuentibus, ruptisq; prosunt. Recentia uulnera illitæ glutinant. Carnes si unà coquantur cogunt. Inflammationibus, sedis potissimum, cum Senecionis foliis utiliter illinuntur.

EX GALE-